

2^o Si quis praevidet e causa a se ponenda secuturam distillationem quam probabiliter comitetur delectatio venerea, ejus actio dijudicanda est e regulis de pollutione vel delectatione venerea indirecte voluntaria.

3^o Si quis praevidet ex aliqua causa secuturam esse distillationem sine delectatione venerea, quamvis aliqua adsit naturalis commotio, nulatenus de ea curare debet, non magis quam de cujuslibet alius humoris emissione. Similiter dicendum si talis distillatio sequatur ex actione aliqua indifferenti vel leviter turpi. Cfr. S. Alph. n. 477.

N. B. Juxta Capellmann (Med. Past. p. 82), verum non est distillationem semper vel ut plurimum trahere secum aliquam seminis effusionem. Distillatio habitualis tamquam morbus a medico curanda est.

§ 2. DE SODOMIA.

402. Sodomia est peccatum quo, ex affectu ad indebitum sexum, vir concumbit cum viro vel femina cum femina. (2. 2. q. 154 a 11)

Perfecta dicitur quando vir concumbit cum viro ex affectu erga sexum virilem, semen effundendo in vas praeposterum. Vocatur vulgo "pédérastie" (παῖδός ἐραστῆς), quia saepe cum pueris peragitur.

Imperfecta dicitur quando inter personas ejusdem sexus non datur copula perfecta, ut si fit inter duas feminas vel etiam inter duos viros ita tamen ut pollutio extra vas peragatur; in his habetur formalis malitia sodomiae, scil. affectus carnalis ad sexum indebitum. Eodem nomine vocatur quando vir exercet copulam cum femina in vase praepostero: hic habetur tantum affectus carnalis ad vas indebitum.

Sodomia tum perfecta, tum imperfecta, specie differt a simplici pollutione. Similiter a perfecta et ab imperfecta priore loco posita differt ea quam posteriore loco posuimus: in hac enim habetur malitia prorsus diversa, vid. affectus ad vas, non ad sexum indebitum. Non videtur tamen specificiter differre perfecta ab imperfecta quae priore loco ponitur: quare, juxta S. Alph. (n. 466), non est necessario explicandum in confessione utrum pollutio fuerit intra an extra vas: "Sufficit enim confiteri *peccavi cum puero* ut confessarius judicet adfuisse sodomiam cum pollutione." At, sicubi reservatum est sodomiae peccatum, intelligenda est sola perfecta. Ideo sub reservatione ea tantum cadit quae fit inter mares et ita ut "non solum membrum viri immittatur in vas praeposterum, sed etiam quod intra illud seminet." (Salmant. tr. 26. c. 7. n. 109)

Cum malitia sodomiae potest jungi incestus, nempe si fit cum iis consanguineis vel affinis quibuscum copula sine incestu haberi nequeat. (S. Alph. n. 469)

Ubi vero deest concubitus, non habetur sodomia, saltem in actu. Hinc

simplicem pollutionem accusare debet qui se polluit tangendo puerum aut mulierem dormientem vel mortuam, aut doli incapacem: nam discrimen mere materiale est utrum fiat pollutio propriis an alienis, viri an feminae tactibus. Attamen, si cum alterius personae complicitate id factum est, explicandum peccatum cooperationis ad peccatum alienum. (S. Alph. n. 467)

§ 3. DE BESTIALITATE.

403. Bestialitas est concubitus hominis cum bruto. Malitia igitur peccati illius, quod in genere luxuria maximum est, reponenda est in accessu ad speciem diversam.

Ubi peccatum hoc reservatur, id intellegendum est tantum de casu quo plene perficitur, scil. ubi fit verus coitus et effusio seminis, sive in alvo, sive in alia quacumque parte corporis bruti. (Salmant. l. c. n. 140) Si fiunt tantum tactus impudici cum bruto sine coitu, etiam cum mutua pollutione, nondum habetur bestialitas proprie dicta. Attamen haec affective committeretur, si homo in tali pollutione foveret affectum carnalem ad brutum, non autem praecise ad delectationem veneream. Secluso igitur tali affectu, sufficere declarare peccatum pollutionis: nam circumstantia illa quod fuerit excitata pollutio tactu bestiae non excedit malitiam venialem. Cfr. Struggl, tr. 7. q. 4. n. 85; S. Alph. n. 474.

Convenit hodie inter physiologos coitum hominis cum bruto diversi sexus esse semper sterilem. Unde ad fabulas amandanda sunt monstra illa quae, veterum opinione, e tali congressu interdum nascantur. Hinc etiam confirmatur sententia S. Alph. (l. c.): non esse declarandum utrum coitum fuerit cum mare an cum femina bestia.

CAPUT III.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS.

§ 1. PRINCIPIA GENERALIA.

404. I. Graviter peccat qui directe quaerit delectationem veneream, etiam exiguam, vel qui in eadem sponte oborta voluntarie delectatur. Ideo in luxuria *directe voluntaria* non datur materiae parvitas.

Ratio intrinseca est: quod materia venerea est natura sua lubrica, et hoc ipso quod quis directe velit et intendat delectationem veneream minorem, se exponit evidenti periculo consentiendi in delectationem majorem et manifeste mortalem. (Struggl, l. c. n. 5) In eodem periculo videtur sita potissima ratio ob quam grave sit delectari in voluptate sponte oborta: nam ab hac ad voluntarie procuratam facillimus foret transitus.

Confirmatur hoc assertum ex damnatione prop. 40^{ae} ab Alex. VII: "Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis." Nam, licet ex illa damnatione directe concludi nequeat non dari parvitatem materiae in delectatione venerea (Viva, in hanc prop. n. I), indirecte tamen id concludi potest, quatenus sententia contraria aegre cum hac reprobatione componi possit. (Ball. P. n. 9) (1)

Hinc oscula, tactus, aspectus, etc. habita propter delectationem veneream, semper sunt mortalia peccata. (2. 2. q. 154. a. 4)

405. II. Qui voluntarie ponit causam motuum venereorum, graviter, leviter vel nullatenus peccat pro natura causae positae, ut dictum est de pollutione indirecte voluntaria. (n. 397 seqq.) Levior tamen ratio sufficit ad ponendam causam incompletae quam completae delectationis venereae, cum in illa minor sit inordinatio minusque consentiendi periculum.

III. Actus imperfecti specie differunt a peccatis juxta vel contra naturam consummatis: illis enim deest malitia seminis effusi contra ordinem vel finem a natura statutum.

Inter se autem actus imperfecti, saltem si terminantur in corpus proprium vel alienum, ut sunt tactus, oscula, amplexus, specie distinguuntur sicut actus perfecti ad quos naturaliter tendunt. Sic tactus soluti cum soluta, natura sua et independenter ab agentis intentione, tendit

(1) De sensu hujus prop. 40^{ae} non omnino consentiunt AA. Secundum Viva (l. c. n. IV), delectatio *carnalis* ibi sonat idem ac *venerea*. Secundum Struggl (l. c. n. 7), damnatio hujus propositionis intellegenda est de osculis calidioribus et morosis, quae, ex natura sua, proxime disponunt ad delectationem veneream et per se excitant spiritus genitales, non vero de osculis levioribus et transitorie impressis, etsi ob aliquam delectationem sensualem fiant; ratio autem damnationis est, quia propositio haec, ob suam universalitatem, innuit, quod falsum est: tale periculum proximum consentiendi ad minimum in delectationem veneream secludi posse a talibus osculis calidioribus, praesertim si exercentur ob delectationem carnalem quae inde sequitur. Praeplacet haec altera explicatio.

ad fornicationem, et ideo specie differt a tactu cum conjugata, qui natura sua tendit ad adulterium, etc. Ideo in confessione explicandum est utrum actus illi habiti sint cum simili sexu an cum diverso, cum soluta an cum conjugata, cognata, persona sacra, etc. (Ball. P. n. 19 seqq.)

Aspectus tamen turpis, licet specie differat a reliquis actibus imperfectis, non induit malitiam peccati quod cum persona aspecta consummaretur, dummodo absit hujus peccati desiderium: aspectus enim nequit dici per se naturalis inchoatio copulae. Ideo qui turpiter aspexit feminam, secluso desiderio, non tenetur declarare num esset matrimonio juncta, consanguinea, etc. (S. Alph. n. 421)

QUAER. Quatenus peccet is qui motibus impuris sponte obortis vel per causam aliquam indifferentem libere positam productis, neque consentit, neque dissentit positive, sed mere permissive se habet.

RESP. Cum peccatum non consistat in delectatione physica, sed in actu voluntatis quae eidem libere adhaeret, is non peccabit graviter, nisi omissio positivae resistentiae eum in periculum proximum consentiendi venereae delectationi injiciat. Hoc autem regulariter non contingit quando motus pravi sunt tantummodo leves, praesertim in homine qui habitualement animus gerit moriendi potius quam peccatum mortale committat. Leviter tamen peccaret qui, sine ulla justa causa, sed ex mera curiositate vel otiositate, aggrediretur vel produceret actiones e quibus hujusmodi motus inordinati oriuntur, neque eos alia ratione, puta pia cogitatione, compescere studeret: quia saltem aliquale periculum castitati crearetur. Cfr. Vol. II. n. 372.

Ubi vero exurgit vehemens delectatio venerea, plerumque proximo consensus periculo se exponeret qui se mere passive haberet: quod e maxima hominum proclivitate in hanc delectationem elucet. Quare aliqua positiva resistentia erit adhibenda: qualis autem ea esse oporteat, definiendum erit e fine obtinendo, vid. e removendo consensus periculo. Saepe sufficet actus displicentiae qui a voluntate eliciatur; quandoque necessarium erit alio mentem divertere, orare, vel etiam causam e qua delectatio oriatur, remove. Sed hujusmodi positiva resistentia omitti poterit ob justam causam, ut puta si quis expertus est motus hujusmodi facilius compesci rariusque accidere si contemnantur quam si positive iis resistatur, si tentatio diu duret ex causa quae physice aut moraliter amoveri nequeat et nimis molestum foret jugiter positive motus repellere, etc. Si quis enim justa ratione ducitur, merito sperare poterit divinae gratiae auxilium quo ab omni consensus periculo servetur. Causae autem supradictae a fortiori sufficient ut omittatur positiva resistentia ubi nonnisi leves motus exsurgunt.

Atque haec responsio quoad substantiam convenit cum iis quae S. Alph. (l. 2. n. 6 seqq.) et Ball. P. (de Pecc. n. 193 seqq.) de eodem argumento habent: quamquam, ob varium sensum iisdem verbis a variis AA. tributum et commixtam cum hac quaestione eam quam supra (n. 397 seqq.) de reatu in ponenda causa turpis delectationis expedivimus, valde intricata sunt quae ibidem, juxta plurium AA. placita, exponuntur.

§ 2. DE QUIBUSDAM ACTIBUS VEL OCCASIONIBUS IMPUDICITIAE.

406. I. Oscula, amplexus, compressiones manuum et similia non obscaena, si fiant tantum officii aut moris patrii aut amoris honesti vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur (modo in eam non consentiatur), non sunt peccata. (Bus. apud S. Alph. n. 417) Eadem sunt venialia peccata si fiunt ex joco, levitate, immo etiam ex affectu sensuali ac naturali, dummodo delectatio venerea absit, vel, si haec praeter praevisionem oriatur, dummodo repellatur et tunc ab hujusmodi osculis, etc. abstinenceatur, saltem ob proximum consensus periculum. Cfr. n. 399.

Hinc censet S. Alph. (l. c.) *ordinarie* mortalia esse oscula quae fiant in ore, vel lingua unius in os alterius introducta: quia id plerumque graviter venerem excitat; *ordinarie* venialia esse oscula pueris tenerae aetatis data, etiam cum sensibili delectatione quae pressis mollibus carnibus oritur.

II. Tangere propria verenda ex levitate aut curiositate per se non est mortale, modo fiat obiter et non repetitis vicibus: quia alias jam aderit periculum turpis delectationis. Hinc non excusatur a mortali qui, cum commotione spirituum et sine justa causa, propria pudenda tangit. (S. Alph. n. 419) Similiter graviter peccat qui tangit partes inhonestas corporis alterius, maxime diversi sexus, non autem qui, absque notabili mora et lapsus periculo, tangit minus honestas talis personae partes. Neque, practice saltem, a peccato gravi excusari possunt qui verenda alterius sexus super vestes tangunt, etiamsi id per transennam fiat. (S. Alph. n. 420)

Qui magnum pruritus in verendis patitur, potest eum abigere tactu vel fricatione, etiamsi sequatur pollutio. Nam praesumendum est pruritus causam esse acrimoniam sanguinis, non autem ardorem luxuriae: ac proinde, ob bonum effectum qui speratur, potest permitti malus. Attamen, si constaret hanc excitationem provenire e pravis cogitationibus praehabitis vel ad hoc tendere ut in ipsa pollutione sopiatur, jam bonus effectus tantum sequeretur e malo, ideoque a tali tactu abstinere

dum esset. Si pruritus esset levis et tolerabilis, non liceret, juxta S. Alph. (n. 483), eum abigere cum praevisione pollutionis, liceret cum aliquo motu carnali.

Quae modo de pruritu sunt dicta, applicanda sunt etiam iis qui in genitalibus patiuntur intolerabilem nervorum irritationem, quae quasi cogat ad tactum aliasve motiones quibus pollutio inducatur. Attamen, ut notat Lehm. (l. n. 874), etiamsi illa nervosa excitatio illuc tendit ut in pollutione sopiatur, non sunt tamen damnandi motus corporales qui tantum per accidens pollutionem causare possint, ex. gr. mutare situm in lecto, cruri crus imponere, etc. Pollutio enim naturali dispositioni corporis potius quam his motibus tribuenda esset. In his tamen adjunctis confessarii munus est suadere ut pruritus ille vel excitatio, quantum fieri potest, ex amore castitatis, toleretur, et cavere ne permittat ea quae e vera libidine oriuntur. (H. A. tr. 9. n. 34)

407. III. Non est per se gravis excitatio ad venerem, ideoque nec grave peccatum, **aspectus** partium inhonestarum proprii corporis, item nec partium honestarum vel minus honestarum corporis alieni. Attamen talis aspectus, ubi fit morosus, periculum proximum turpis commotionis inducere et sic mortalis evadere potest. Cfr. alias applicationes supra n. 399. Aspicere pudenda personae ejusdem sexus de se non est mortale, nisi aspiciens esset valde propensus ad sodomiam vel nisi pulcher adolescens aspiceretur nudus. (S. Alph. n. 420) Aspicere autem, cum voluntaria delectatione visus, pudenda personae diversi sexus vel concubitum humanum, mortale censetur a S. Alph. (n. 421), nisi visio fieret a loco longinquo et tempore brevissimo.

Hinc reprobant Ball. P. (n. 44) et Berardi (Prax. Conf. n. 930) consuetudinem, in multis academiis vigentem, ut pictoribus tamquam exemplaria proponantur feminae nuda, tectis tantum pudendis. Reapse non videtur hic adesse necessitas quae medicos vel chirurgos a similibus aspectibus excusat: siquidem artis pictoriae finis plene obtineri potest, adhibitis in exemplaria mulieribus quae tantum in brachiis vel modica pectoris parte denudatae sint. Attamen excusari possunt juvenes qui sine gravi incommodo (ut fit) a talibus academiis adeundis abstinere nequeunt. Nam, si attentionem in artem addiscendam defigunt et Dei opem implorant, non ita aegre videntur consensum in pravos motus cohibere posse. Quare, cum ipsa actio in se non sit graviter turpis et periculum pravi consensus potius e malitia inspicientium quam e natura rei oriatur, aequo severiores sunt praedicti AA. dum peccati gravis arguunt mulieres quae se ita nudas conspiciendas exhibent.

Aspectus picturarum turpia exhibentium plerumque mortalis erit, si res omnino obscaena, vivido modo depicta naturamque imitans, morose